



**I**oannes ille à pueris literis operam dedit, & ob præclaram indolem magnam sibi eruditionem comparauit. Postea quoq; animum ad Theologiã adiecit, & sua diligentia effecit, ut doctissimis Theologis connumeratus fuerit. Itaq; Philippus Landgravius eum plurimum dilexit, atq; suis Ecclesijs præesse iussit. Quotiescunq; etiam in comitijs Imperij cõuenissent, Pistorius reliquis adfuit, & singulari dexteritate de rebus controuersis disputauit. Itaq; cum Carolus Imperator 1541 Ratisbonæ religionis nomine comitia celebraret, unã cum Melanchtone et Bucero hunc Pistorium elegit & nominauit, quò cū Eckio, Pflugio, & Grop

pero amice de fidei articulis conferret, et aliquid certi statueret. Id quod Pistorius egregie cum alijs præstitit. Postea quoq; 1543 à Hermanno Coloniensi electore Bonnã euocatur, ut cum Bucero suam ecclesiam reformaret, & Euan-gelicæ doctrinæ initia faceret. Eadẽ ratione & 1546 denuò Ratisbonæ ad colloquium Theologorum admissus, nihil intētatum reliquit, quò religionis controuersia tolleret, & Christi solius gloria quæreretur. hinc factum ut Pistorius apud omnes doctos in magna semper existimatione habitus fuerit. Io. Sleid.